

III.  
NEOVIDENSIS

Nro 47. (*Neovidensis* 1805. Nro 43.)

EX CAMPIS ELYSIIS  
Colloquium Politicum  
vita fundorum.

Elysium -- Meum. -- Die Martis II. Junii 1805. (Neov. 28. Maji.)

Tempora mutantur, novitatibus orbis abundat;  
Sunt, quæcunque vides, mutata, hominesque, Diique,  
Nil valet hoc, veteres quod nos docuere, sed euge!  
Regnaque mutantur; nos heu mutamur in illis!

Colloquentes Personæ:

*Pyreneus*, & *Professor Schiller*.

*Pyreneus*. Quo te pedes, exsangvis anima?

*Schiller*. Ibi in cacumine video sedes Musarum; Parnassum volo conscendere.

*Pyreneus*. Non est ita facile, ut putas, illuc pervenire. Ego hic excubias ago. Mihi vetitum est immittere quempiam mortalium, qui aliquando Musas offenderit. Has ego nunc do pœnas, quod olim easdem injuriosius lacessiverim. Et quæ tu potis es merita Musis præstita producere?

*Schiller*. En mea scripta, quæ loco litterarum liberi commeatus exhibeo. Mea meri-

ta de Parnasso novit orbis universus; Jam in vivis hoc honore dignus judicabar.

*Pyreneus.* Sine, videam. (Legit, & stupet.) Schillerus! Quantum nomen! Opera tua comica celebrantur per orbem, verum — —

*Schiller.* Quam difficultatem vis tu tuo verum manifestare? Forte non meeor coram Parnasso comparere?

*Pyreneus.* Nihil horum; sed originis es germanicæ, & in examinandis tuæ nationis umbris opus est circumspectione longe maxima.

*Schiller.* Qua de causa?

*Pyreneus.* Ipsi Germanici scriptores necessariam faciunt hanc cautelam. Possem innumeros in medium adducere, qui inter vos eruditos hanc diffidentiam excitant; Evaldus vobis ante aliquot annos larvam detrahit, & nuperrime insignem descriptionem accepimus vestrarum lucubrationum. Unum tantum locum tibi inde commemorabo, & certus sum, te ingenue confesurum, nos optime facere, si summa vobiscum utamur consideratione. Excipe benevole narrantem: Hodie in Germania numeramus 123 criticas ephemerides, commentarios, & menstrua scripta, in quibus nil aliud fit, quam aliena recensentur opera, seu, quod idem est: aliorum labores secantur; exartuantur; caro ab ossibus separatur, viscera eximuntur, & de mortuo sceleto confessio per tormenta peragitur. Quam raro inveniuntur boni scriptores, tam rari etiam sunt boni recensentes. Plurimi eorum pertinent ad segnem, importu-

nam, & impudentem hominum facem. Multum illis inest malitiæ, multum petulantia, sed parum scientiæ! Namque semper parati sunt ad certandum, & ubique rixis dant anam adeo, ut cum veritate possit dici, ex quo tot recensentibus inundamur, eo majorem observamus in orbe erudito pullulare confusionem, dubitationem, incertitudinem, eo plures occurrunt vacillantes, pravæ, dubiæ, & prorsus falsæ sententiæ. Dimicant non amore veritatis, sed ut, si Superis placeat, refutent — ut viri bene meriti auctoritatem infringant, ut luxuriantis ingenii dent specimen, ut quadrata rotundis misceant. Nunquam vixit inter eruditos major discordia, nunquam major exacerbatio, atque hodie. Integræ societates conflantur ad faciendas recensiones. Hinc illæ perpetuæ contradictiones: Ille laudibus ad cælum fertur, iste ad inferos usque deprimitur; hic dicitur cæruleum, ibi flavum; isthic viride, inibi nigrum, hæc est Recensionum facies, quæ omni intuenti risum movet. Si lubet, conferamus inter se prolata judicia, & si nondum noscimus horum sciolorum vaniloquentiam, manibus eam palpabimus. Cujus rei hæc est ratio: Multi se ipsos recensent, vel ad laudes suas crepandas conducunt suos compransores; Ille hanc, iste aliam sequitur sectam; quam maxime vapulat, qui non habet Ciceronem pro domo sua. Inde fit, ut nemo moveatur his mordacibus recensioneibus, inter omnes enim constat, ad ingenium

harum ephemeridum pertinere, ut se mutuo scalpant, lacerant, pungant, & fricent. Nemo prudens curat amplius hæc diderla, pleaque enim esse emta non ignorat. In his 123 criticis commentariis, qui quotidie eduntur, juxta mediocrem calculum (pro singulis computando tantum 20 socios) desudant minimum 2500 viri; Multi, veluti ipsi fatentur, solvunt 100, & etiam 150 Collaboratores; Hi intra decennium minimum ter permutati constituunt numerum 7500 Recensentium. Quid potes huic veritati opponere? Est ista tuorum eruditorum propria oris confessio.

*Schiller.* Hujusmodi accusationes familiares sunt antiquis litteratis, qui omnia nova despiciunt.

*Pyreneus.* Quæ nova? Hic est sermo, an vetera vel recentia homines efficiant meliores, & feliciores. Hoc potissimum spectant Musæ. Quid enim prodesset humano generi perniciosa pulchritudo? Verum veteres Germanici scriptores maxime exaggerant, novam morum doctrinam redolere fabellas romanenses, eam favere infrunitis animi affectionibus, tendereque tantum ad excitandas sensuum illecebras. Proferam iterum verba laudati Authoris: Quis non noscit plebem, quis non judicaret perditum agricolam, si rusticus deberet novam machinam aratri excogitare, omnes species terræ in suas partes dissuere, & physiologiam domesticorum animalium ex imaginibus æri incisus discere? Quis autem noscens populum non contremiscat ad cogitationem, ut

ille existentiam Dei, & futuræ vitæ scrupulosius scrutetur, ut in originem jurium Majestaticorum secundum jus Naturæ, aut sociale contractum Joannis Jacobi Rousseau inquirat, & legitima ratiocinandi methodo concludat, an detur jus rerum proprium, vel secus? Non oportet colonum multa scire, & multa facere, sed pauca bene scire, eaque fideliter, & constanter exequi, atque simplices sui officii labores indefessa industria peragere.

*Schiller.* Hæ sunt antiquæ veritates ratione, ac experientia confirmatæ.

*Pyrenæus.* Continuo lectionem: Intellectus (qui cum omni illuminatione semper adhuc in tenebris versatur, & in multis offendit) neque felices nos facit, neque in societate, cujus membra sumus, æstimatione dignos; Sola, & præcipua vis est benevolentia, qua alios nobis conciliamus, bene agimus, & homines, quales socialis vita requirit, evadimus. Omnes aliæ scientiæ, & dotes oculos quidem perstringunt, sed cito prætereunt, & intercidunt; Plus adferunt vituperii, quam honoris, si eo non dirigantur, ut virtutibus imbuiamur, & utiles patriæ cives fiamus. In omnibus scientiis manemus idiotæ, in sola moralitate possumus Heroibus adnumerari. Ad hanc necessaria est victoria sui, variæ exercitationes, & quotidianus usus, quæ sola replent animum solida, perfecta, & vera virtute. Quapropter, quicumque juventutem informatis, alte insculpite mentibus vestro-

rum discipulorum, in eoque illustrata mentem illorum, ut iis sæpius, & vivaciter proponatis, quod omnes veri sapientes uno ore asserunt, & historia eruditorum ut verissimum memoriæ prodidit: — Posse quempiam valde doctum esse, & omnibus disciplinis egregie perpolitum; sed etiam summo contentu dignum, subdolum, malignum, improbum, fraudulentum, malitiosum censorum, proditorem patriæ, perfidum maritum, turbulentum civem, injustum judicem &c, quod etiam mores nostri sæculi abunde testantur. — Non tangitne hæc descriptio magnam partem hodiernorum Doctorum? Edisere, an non ipse magnam harum rerum experientiam horsum attuleris?

*Schiller.* Hæc adumbratio, quam Germanus de germanis eruditis facit, eosdem profecto, nimium quantum deprimit. Sed jam elapsa sunt tempora turbarum, velum ex oculis detractum est, vetera instituta exquiruntur, morum doctrina superstruitur principiis Religionis. Decem, vel 12 annos transegimus in rerum confusione, ubi omnes animi motus impune fræna laxaverant. Veram, dilecte Parnassi custos! tibi apprime notum est, me apud superos id tantum, quod pulchrum, patheticum, & sublime erat, tractavisse; Quare ego mihi merito vindicare possum, ut præ omnibus aliis eruditis, quos tam nigris depinxisti coloribus, immittat in Parnassum.

*Pyreneus.* Hoc nulla ratione voco in da-

bium; jam etiam tuum adventum significavi, & video motum, ac concursationem Musarum. Sed unum adhuc peto mihi præstari humanitatis officium: Dicitis, quid agatur in mundo superiore cum bello? Ubi terrarum sit Telonia classis? ubi Nelson?

*Schiller.* Ultimi nuntii, qui Londino in Hollandiam perlati sunt, sonant de 16. Maii; & referunt, magnam Anglorum classem, quæ in Canali Britannico excubabat, & una obsidebat portum Brestanum, domum redivise. Hoc quivis Politicorum miratur, quasi Angli de industria vellent Brestanæ classi ad excurrendam viam aperire, eamque reddere faciliorem. Esto enim classis Anglica suppetias acceperit a Præfecto navis Orde, suam nihilominus deseruit stationem. Probabile est, plerasque ejus naves ad persequendam classem Teloniam esse dilapsas. De motu autem navalis Ducis Nelson usque ad 16. Maii nec in Anglia, nec alibi quidquam conturbat. Atque hæc sunt, quibus tuæ curiositati velificari possum.

*Pyreneus.* Habeo gratias, magne Germanorum Poëta. Hæc via recta ducit ad Parnassum & ad Musas. Profecto, genus humanum se ipsum perdidisset, nisi vos longe doctissimi pro eorum felicitate nati fuissetis, qui scitis seria jucundis miscere, & non tantum delectare, sed conservare etiam studentis. Vade bonis avibus!

*Schiller.* Jam auribus meis insonat vox Musarum suavissima.

*Pyrenæus*. Heu! canunt carmen salutatorium a Germanico Poëta, qui erat deliciæ suæ nationis, compositum. — Pone metum, in hoc itinere tibi non occurrent tui *Latrones*.

---

*BIOGRAPHIA.*

*Pyrenæus*. Princeps Dalidis, Musas coorta foeda tempestate apud se auxilium quærentes excepit hospitio, at debitam illis venerationem violavit adeo, ut illæ divina sua virtute per superiorem domus partem evolverint. Has ille inconsideratus volens cursu assequi, nil cogitavit de præsentis vitæ periculo, ideo ex alto præceps actus interiit.

---

*Resolutio Problematis Nro 14. propositi.*

Sit donum Camerarii =  $2x$ ; Coci =  $x$ , Aurigæ =  $y$ , & Venatoris =  $x + y$ . Hinc duæ nascuntur æquationes:  $2x^3y + 2x^2y^2 = 15000$ ; videlicet  $x^3y + x^2y^2 = 7500$ ....  
 A. &  $3x - x - 2y = 10$ , unde  $x = y + 5$ .  
 B. Substituendo hunc valorem de  $x$  in æquatione B prodit  $2y^4 + 25y^3 + 100y^2 + 125y - 7500 = 0$ . Hinc surgit  $y = 5 =$  dono Aurigæ; consequenter  $x = 5 + 5 = 10 =$  dono Coci; Porro  $2x = 2 \cdot 10 = 20 =$  dono Camerarii, &  $10 + 5 = 15 =$  dono Venatoris, denique  $20 + 15 + 10 + 5 = 50$  Aureis, quod erat omnium simul donum.

*Isacus Schuster,*

Francofurtensis Tabellarii filius.

Hoc Problema accurate resolverunt: Offenbachensis G. H. Ehler; Hanoviensis J. G. E. Spitz; Monachiensis F. Rivet; & Francofurtensis T. S.

---